Fragmentarium

sacerdotes priscibus deportarent et ipsi absque mora exercitum ad repri-
mendam eandem gentem dirigerent. Secundum miraculum pharum alexandrinum
quod super IIII cancros vitreos passibus XX in mari fundatum est.
Quomodo tam magni fusi cancri fuerunt. quomodo deportati in mare et
non fracti. quomodo quoque fundamenta cementa super ipsos cancros in-
herere potuerunt et sub aqua qualiter cementum stare potuit. vel cur
quare non frangantur aut quare non lubricate desuper fundamen-
tum. hoc magnum miraculum est et quomodo sit factum ad intellegendum
difficile. De imagine erea. Tertium miraculum collosei insula rhodi
imago erea CXXV pedibus fusilis facta est. Qualiter tam immen-
sa moles fundi potuit et erigi ut staret. XXV pedibus altior imago
illa fuit imagine collosie rome. De simulacro bellorofontis.
Quartum miraculum simulacrum bellorofontis ferreum cum equo suo in
smirna civitate suspensum in aere consistit sine catenis suspen-
sum nec desubter ullo stipite sustinetur. Sed lapides magnetes in
arcubus habentur et hinc inde in assumptionibus contra? et hic
inde mensura equiperata consistit. Estatue estimatio circa V
milia librarum ferri. De monte marmoreo. Quintum miracu-
lum theatrum meraclea de uno monte marmoreo ita sculpto ut
omnes cellule mansiones muri et antra bestiarum ex uno solido quoque
lapide conspiciantur. et hoc murum quod super VII cancros de ipso
lapide sculptos appendens sustinetur. et nemo intra ipsum tam secrete
aut solus aut cum alio loqui potest ut omnes ipsum non audiant
qui in giro edificii constant. De balneo apolloniani. Sextum
miraculum quod apollonianus cum una candela consecrationis ac-
cendit. Thermas perpetuo igni sine ulla administratione lignorum
calentes fecit. De templo diane. Septimum miraculum diane templum
super IIII columpnas primum fundamenta locata sunt arcuum. de-
inde paulatim subcrescens super IIII arcus eminentiores lapides
arcubus prioribus positi super IIII arcus. octo columpne et VIII
arcus porrecti. Inde porrecti tertio ordine equa ponderatione
IIIIor per omnes partes succrescentes semper eminentiores lapides posita super
octo XVI arcus fundati sunt. Super XVI XXXII iste ordo quartus
est. In quinto ordine sexaginta IIII columpne et arcus fuerunt
secuta et super XLVIII centum viginti et octo columpne finem
faciunt tam mirabilis edificii. De sacro baptismo.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 3v – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49449)